

uno potius gradu suae intensivae perfectionis quam in alio consistat. Atqui rursus hoc admittendum foret, si creatura istiusmodi absolute optima in sua substantiali perfectione daretur; siquidem ratio entis primo et simpliciter dicitur de substantia. Hinc intellectus, cuius proprium obiectum est ens, prout huiusmodi, in sua conceptione a limitibus abhorret.

435. *Probatio III. partis.* — Patet ex praecedentibus, et ideo addimus, ut manifestum fiat ex declarata et asserta infiniti notione quam Deo tribuimus, putissimum pantheismi errorem non solum nihil confirmari, sed radicatus potius extirpari. Et re quidem vera, idcirco Deum in ratione entis confitemur infinitum, quia est esse plane irreceptum, quatenus scilicet nec ab ulla causa dependet, nec in aliqua essentia quasi recipi intelligitur. Esse e converso quo formaliter unaquaeque creatura in se ipsa subsistit, eo ipso quod creatura est, utroquo modo receptum sit oportet. Imprimis enim est esse causatum; praeterea, cum sit praeter rationem essentialiorem cuiusque creaturae, merito concipitur in eius essentia quasi recipi, ut actus in sua propria potentia. Nisi itaque quis velit contradictoria simul identificare, concipere debet esse divinum ut omnino elevatum supra esse formale cuiusque creaturae, et ab eo adequate distinctum. " Ipsum esse Dei, ait divus Thomas, distinguitur et individuatur a quolibet alio esse per hoc ipsum quod est esse per se subsistens, et non adveniens alicui naturae quae sit aliud ab ipso esse. Omnia aliud esse, quod non est subsistens, oportet quod individuetur per naturam et substantiam quae in tali subsistit. Et in eis verum est, quod esse huius est aliud ab esse illius per hoc quod est alterius naturae: sicut si esset unus calor per se subsistens sine materia vel subiecto, ex hoc ipso ab omni alio calore distingueretur, licet calores in subiecto existentes non distinguantur nisi per subiecta. " (Qg. Disp. Pot. q. 7. a. 2. ad 5.) Praeterea, si spectetur formalis ratio infiniti quam Deo tribuimus, ea consistit in actuali exclusione limitis cuiuscumque; unde absolute repugnat, capacitatem ullam additionis concipere in actua-

litate seu nobilitate qua essentialiter constat. Talis contra additionis capacitas locum habet in esse eiusque creaturae. Quare rursus S. Thomas. " Ens commune est, cui non fit additio, de cuius tamen ratione non est, ut ei additio fieri non possit: unde divinum esse non est esse commune. Sicut et animal communi non fit additio, in sua ratione, rationalis differentiae: non tamen est de ratione eius, quod ei additio fieri non possit; hoc enim est de ratione animalis irrationalis, quae est species animalis. " (loc. cit. ad 6.) Confer etiam quae S. Doctor habet (1. Cont. Gent. c. 26.).

436. *Corollarium.* — **Deus est absolute incomprehensibilis.** — Cognoscibilitas enim rei commensuratur actualitati ipsius. Ergo cognoscibilitas propria divinae substantiae, sicut eius actualitas, est infinita. Nequit propterea exhauriri nisi ab intellectu cuius cognoscitiva virtus sit infinita. Id autem solius intellectus divini est. Ergo nullus alius intellectus, quantumcumque perfectus, tam perfecte cognoscere potest Deum quantum cognoscibilis est, ac propterea nec comprehendere. Nec refert, quod ipse Deus se comprehendit. Ut enim bene notavit Suarez: " Comprehensio proprie non est eiusdem ad seipsum, ubi cognoscens est suamet cognitio per essentiam: solum ergo per comparisonem nostri intellectus, imperfecte concipientis Deum, dicitur Deus comprehendere se, meliusque diceretur esse sum perfectum intelligere per essentiam. Quando ergo Deus dicitur incomprehensibilis, negatio illa intelligitur in ordine ad comprehensionem, quae possit cum illo habere realem comparisonem et habitudinem atque adeo distinctionem in re ipsa. Sic ergo Deus dicitur incomprehensibilis ab alio, qui Deus non sit; et hoc significat Scriptura, quoties de incomprehensibilitate Dei loquitur. " (De Deo, lib. 2. c. 5. n. 2.) Confer cetera quae de cognitione comprehensiva suo loco declaravimus [307].

SECTIO IV.

Utrum Deus sit ubique.

437. **Consecutio ad praecedentia.** — Quaestioni de infinitate Dei S. Thomas immediate subneclit (*Summa th.* 1. p. q. 8, 9, 10.) considerationem de divina immensitate, immutabilitate, ac aeternitate. Et quidem recte omnino: sic enim quaestio ipsa de infinitate divinae perfectionis quasi absolvitur. Ratio est, quia secundum proprium modum essendi rei cuiusque est etiam proprius modus praesentiae vel durationis quam propterea praesentiam seu durationem quasi duplex attributum concipimus quod proxime consequitur actuale exercitium existendi uniuscuiusque in rerum natura. Cum itaque in quaestione praecedente demonstratum sit, nullum plane litem nullamque mensuram in divino esse concipi posse, ipsa res nos sponte adducit, ut limes etiam et mensura amoveatur tum a praesentia Dei in rebus, tum ab eius duratione. Primum habetur per hoc quod Deum fatemur esse ubique: alterum vero ab omnimoda essendi uniformitate, quam attributa immutabilitatis et aeternitatis prae se ferunt. Illud in hac sectione, hoc vero in sequente expendemus.

438. **Quo sensu ut Deo proprium asseratur esse ubique.** — Age vero, quid proprie intelligere oportet, cum dicimus, Deum esse ubique, nitide more suo sic declarat Angelicus. * Esse ubique, ait, primo et per se, est proprium Dei. Dico autem esse ubique *primo*, quod secundum se totum est ubique: si quid enim esset ubique secundum diversas partes in diversis locis existens, non esset primo ubique; quia quod convenit alicui ratione partis suae, non convenit ei primo, sicut, si homo est albus dente, albedo non convenit primo homini, sed denti. Esse autem ubique *per se* dico id cui non convenit esse ubique per accidens, propter aliquam suppositionem factam: quia sic granum

milli esset ubique, supposito quod nullum aliud corpus esset. Per se igitur convenit esse ubique, quando tale est, quod, qualibet positione facta, sequitur illud esse ubique. Et hoc proprie convenit Deo: quia quotumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita, praeter ista quae sunt, oporteret in omnibus esse Deum; quia nihil potest esse nisi per ipsum. Sic igitur, esse ubique primo et per se convenit Deo et est proprium eius; quia quotumque loca ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum se ipsum. * (*Summa th.* q. 8. a. 4.)

439. **Quotuplici modo Deus dicatur esse in rebus.** — Theologi, duce Sententiarum Magistro (1. *Dist.* 37.), ad plenius declarandum modum quo Deus est in rebus, dicere consueverunt, Deum esse ubique per *essentiam*, *praesentiam*, et *potentiam*. Non consentiunt tamen in una eademque determinata horum verborum explicatione. Ipse S. Thomas aliter rem declarat in cit. *Dist.* commentario (q. 1. a. 2.), aliter vero in *Summa Theologica* (q. cit. a. 3.). Ceterum quod in ea distinctione potissimum spectatur, et in quo plerique omnes conveniunt, huc redit, ut optime notavit Card. Franzelin: * ut declaretur, Deum non solum esse per operationem aliquam, qui gravissimus nonnullorum fuit error, sed esse ubique divinam naturam seu substantiam; ut deinde explicite doceatur, hanc existentiam Dei in omnibus non esse velut otiosam et inertem sed esse maxime actuosam praesentiam primae causae omnis esse et omnis boni. * (*De Deo uno*, th. XXXIV.) Hac animadversione posita, placet explicatio quae ex S. Thomae (*Summa th.* 1. c.) communiissime recipitur, ita ut Deus dicatur esse ubique *per essentiam* ad significandam ipsam substantialem Dei praesentiam in omnibus; *per praesentiam*, ut indicetur omnia esse nuda et aperta in conspectu sui coram oculis divinae Maiestatis; *per potentiam* denique, quia nimirum omnia in esse et operari dependent ex iugi divinae virtutis influxu. Praeter hunc triplicem modum quo Deus est in rebus omnibus, specialem etiam distinguunt theologi, qui est proprius iustorum, in quibus di-

citur Deus *inhabitare* per gratiam. Sed huius rei explicatio nullo modo spectat ad philosophos (1).

440. **Quae sit propria ratio divinae immensitatis.** — Quamquam Deus multiplici ratione modo explicata sit in rebus, tamen id, quod proprie ad attributum immensitatis pertinet, primo dumtaxat continetur, quo nimirum Deus ubique dicitur esse *per essentialiam*. Per alios enim modos proxime declaratur perfectio divinae scientiae vel

(1) Nullibi fortasse elegantior et profundior istius rei, quin et totius quaestionis de divina praesentia, explicatio invenitur, quam apud B. Augustinum (Epist. 187. al. 57. ad *Dardamon*): quae epistola inscribitur etiam *Liber de praesentia Dei*. Placet sententias nonnullas S. Doctoris exinde huc derivare. * In eo ipso, quod Deus dicitur *ubique diffusus*, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur, (omnis enim huiuscemodi magnitudo minor est in sui parte quam in toto); sed ita potius, *sicuti est magna sapientia, etiam in homine cuius corpus est parvum*. Et si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior; non est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus; sed tanta in hoc, quanta in illo, et tanta in unoquoque, quanta in utroque. Neque enim si aequaliter sunt omnino sapientes, plus sapiunt ambo quam singuli: quemadmodum si aequaliter sint immortales, non plus vivunt ambo quam singuli.... Est ergo Deus per cuncta diffusus.... Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi: sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, et sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio dimidius corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus: sed in solo caelo totus, et in sola terra totus, et in caelo et in terra totus, et nullo contentus loco, sed *in seipso ubique totus*.... Quomodo enim ubique, si in seipso? *Ubiq[ue] scilicet, quia nusquam est absens; in seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est praesens, tamquam sine eis esse non possit*. Nam spatia locorum tollit corporibus, nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, et ideo necesse est, ut non sint.... Quamobrem Deus, qui ubique praesens est, et ubique totus, non in omnibus habitat, sed in eis tantum quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua, eruens eos a potestate tenebrarum et transferens in regnum Filii claritatis suae, (*Coloss. I. 13.*): quod incipit a regeneratione. Haec Augustinus.

potentiae, dum contra attributum immensitatis ad ipsam Dei substantiam refertur. Est itaque observandum, *immensum* ex vi nominis idem esse, ac *sine mensura*. Ex usu autem, etiam Ecclesiae Patrum, cum de divinis agitur, dupliciter accipitur. Uno modo ad indicandam absentiam mensurae ab essentiali Dei perfectione: et ita si accipitur, non differt ab attributo infinitatis, quod iam declaravimus. Alio modo usurpatur ad denotandam absentiam mensurae ex parte loci seu spatii cui Deus substantialiter est praesens; et haec est stricta huius vocis acceptio, de qua in praesenti. Nomine proinde divinae immensitatis significamus modum illum existendi, *quo Deus ut ubique sit praesens exquirat, ac substantia sua omnia, quae creari possunt, veluti permeare potis est, quin a re aliqua aut loco usquam definiatur*. Ex quo facile intelligitur discrimen aliud quod interesse inter hoc attributum et divinam *omnipraesentiam ad loca actualia*. Etenim imprimis haec *omnipraesentia* connotat creaturam actu existentem cui Deus dicitur substantialiter praesens, ideoque est attributum relativum convenienti Deo ex tempore, supposita creatione. Contra immensitas Deo convenit necessario, immutabiliter, et ab aeterno: tametsi enim nulla res, praeter Deum, existat, tamen divina substantia habet totam actionem ex parte sua, quam intelligimus quum dicimus, non esse huic spatio substantialiter praesentem. Praeterea haec actualis *omnipraesentia* limitem habet, pro limitatione scilicet spatio-
rum realium: contra immensitas, ut quae complectitur spatia etiam possibile. Ceterum, divina *omnipraesentia*, supposita creatione, necessario consequitur divinae substantiae immensitatem; quemadmodum coexistentia Dei temporibus realibus consequitur ipsius aeternitatem, ut egregie expendit Augustinus (11. *Civ. e. 5.*)

THESIS VIII.

Deus est substantialiter ubique praesens. Haec porro divinae substantiae praesentia in rebus ex eius operatione concluditur quidem et illustratur, proxime tamen ac formaliter ea minime constituitur.

441. *Probatio I. partis.* — Rationem potissimam cum S. Thoma (*Summa th. 1. p. q. 8. a. 1.*) ducimus ex causalitate divina, quam in hunc modum proponimus. Deus immediate agit in res omnes: ut enim suo loco demonstratur, omne ens participatum iugi et immediato influxu dependet efficienter ab esse per essentiam, ut sit et in suo esse perduret, idque non minore necessitate, quamvis diverso modo, ac ignis vel virtus eius operatur in ignito, ferro v. g. caudente. Atqui immediate et per se nulla causa operari potest in rem aliquam, nisi eam aut virtute simul et substantia, aut certe virtute tangat, ut ex professo in Philosophia Prima [th. XXV] demonstravimus. Cum itaque in Deo virtus et substantia re non differat, necesse est in omni re, non virtute solum sed substantia quoque insit. Ad rem S. Thomas. * Oportet omne agens coniungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere; unde in 7. Phys. probatur, quod motum et movens oportet esse simul. Cum autem ipse Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius: sicut ignis est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum Deus causat in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur; sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius om-

nibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt... Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime. (*loc. cit.*)

Confirmatur ex eo quod nemo inficari potest, pertinere ad perfectionem substantiae, ut ut spiritualis, posse substantialiter adesse rei in quam agit. In tali enim praesentia nulla imperfectio per se censitur, ut suo loco ostensum est [131], immo communi naturae sensu concipitur ut valde imperfecta res, quae sui praesentiam non possit exhibere alicubi. Ergo id maxime asserere oportet de divina substantia, in qua sunt omnes perfectiones purae. Nequit autem id concipi quasi aliquid potentiale in Deo, vel limitatum. Ergo Deus sua substantia actu ubique adest.

442. *Obiectio diluitur.* — Erit fortasse qui demonstrationem factam sic elevare conabitur. Ut in thesi citata Philosophiae Primae concessum fuit, minime requiritur ad immediatam actionem cuiusque agentis, ut hoc non agat in rem distantem, dummodo eius actio per propinquum et totum medium spatium usque ad extremum continuetur. Ergo ex actione, immediata licet, primi agentis, in res omnes non videtur duci efficax argumentum, ut substantialis omnipraesentia ipsius colligatur.

Respondeo, non uno ex capite hanc obiectionem definire. Etenim primo, etiam cum agens praedicto modo operatur in rem distantem, semper tamen praesentialiter adest illi rei vel spatio unde inchoat suam actionem. Ergo ex operatione divina rite concluditur, Deum alicubi substantialiter adesse. Ergo est ubique, quippe Deo nulla perfectio tribui potest cum limite. Secundo, praedicta continuata et quasi diffusa actio non datur nisi quum aliquid efficitur per motum. Potissima autem actio primi agentis est creatio, quae, cum sit actio omnino independens, ridiculum est imaginari, eam per intermedium aliquam creaturam ad productionem alterius deferri: eo vel maxime quod, ut suo loco probabitur, ea reipsa minime distinguitur a divina substantia. Nec refert, quod non omnia creatione producantur. Nam ut advertit S. Thomas: " in qualibet re

est aliquid quod per creationem causatur; in rebus quidem corporalibus prima materia, in rebus autem incorporeis simplices earum essentialae. (3. *Cont. Gent.* c. 68.) Tertio, etsi consideretur actio qua Deus una cum causis secundis cooperatur ad earum effectus, minime concipi potest hic influxus Dei concurrentis per modum alicuius virtutis diffusae, ut in obiectione dicitur. Ut enim sapienter observat Suarez: "Deus non potest efficere hanc actionem (cooperativam) media virtute a se diffusa, seu media aliqua re creata. Tum quia hic concursus est proprius primae Causae ut sic, et ideo non potest per virtutem creatam fieri; nam hoc ipso deficit a propria perfectione et ratione talis concursus. Tum etiam, quia quaecumque fingatur esse talis virtus creata, illa etiam indigeret influxu primae Causae, quia hoc est intrinsecum omni virtuti creatae; ergo, necessario sistendum est in aliquo influxu, quem prima Causa per se ipsam immediate praebet in omni actione creaturae. Unde propriissime dicitur Deus in hac actione agere immediate, immediate tam virtutis quam suppositi." (*Metaph. D.* 30. sect. 7. n. 27.)

443. **Declaratio II. partis.** — Addimus hanc partem tum ad pleniorum totius quaestionis declarationem, tum ad praeventendum perniciosum et erroneum intellectum quarundam locutionum quae apud Doctores ea de re inveniuntur. Duo itaque asserimus.

I. Primo certum est, divinae substantiae praesentiam in rebus ex eius operatione legitime inferri et illustrari. Inferitur quidem legitime, ut patet ex demonstratione allata; sed illustratur etiam. Quum enim concipitur Deus substantialiter rebus adesse ut causa essendi, ex una parte ipsa substantialis Dei praesentia in rebus optime intelligitur, quum sit connaturalis intellectui nostro apprehendere causam intime praesentem suo effectui proprio et immediato; ex alia vero optime cavetur error quem lusus imaginationis creare posset. Quum enim Deus intelligitur rebus quidem intime adesse, sed per modum agentis quantum ad ipsum esse earumdem, eo ipso apparet, nullo modo cum ipsis identificari, vel eis commisceri, aut ab

eis ullo modo dependere: qui est triplex error, isque gravissimus, qui ex falsa imaginatione in hac re progiugui possit. Et hoc est adeo verum, ut divus Thomas enumerans causas quae pantheistico errori videntur praestitisse fomentum, postremam sic exponit et refutat. Quartum etiam, ait, quod eos ad hoc inducere potuit, est modus loquendi quo dicimus, Deum in omnibus rebus esse; non intelligentes quod sic est in rebus, non quasi aliquid rei, sed sicut rei causa, quae nullo modo suo effectui deest. Non enim similiter dicimus formam in corpore, et navitam in navi. (1. *Cont. Gent.* c. 26.) Accedit etiam alia utilitas ex hoc modo considerandi divinam omnipraesentiam. Nimirum, ut ante declaravimus [133], quum dicimus rem esse alicubi sive in loco aliquo, praeter praesentiam rei quae loco exhibetur, solemus unionem quamdam seu affectionem concipere locum inter et rem quae ibi esse dicitur. Haec porro unio seu affectio, si de re spirituali agatur, non alia intelligitur nisi per contactum quamdam quem vocant *virtutis*, quo res spiritualis aliquo modo agere intelligatur in loca quibus adest. Id porro maxime cernitur in divina operatione qua Deus loca et locata omnia portat verbo virtutis suae (1).

II. Licet haec ita sint, negamus secundo contra non-

(1) *Averte, quod esse in loco non solum simultaneitatem dicit, sed quamdam affectionem et causalitatem unius ad alterum; aliud enim est esse cum, aliud esse in alio. Unde corpus dicitur esse in loco, quia quamdam affectionem circa ipsum exercet, scilicet occupare et replere per quantitatem. Ex quo fit, quod Deus quidem coexistat, et simul sit cum omnibus et intra omnia; tamen, proprie loquendo, hoc non est esse in omnibus, sed intra omnia et cum omnibus. Ut autem dicatur esse in omnibus, aliquid debet exerceere; et hoc videtur esse operatio, quum Deus incorporeus sit. Ob id per operationem Deus esse in omnibus a S. Thoma asseritur; non enim negat illam cum omnibus coexistentiam, sed negat per eam solum dici esse in rebus. Quod si libet cum theologis aliis vocare illam coexistentiam praesentiam, et secundum eam Deum dici esse in rebus, etiam seclusa operatione, non displicet, dummodo intelligas, non esse multum propriam locutionem. (TOLLEUS *In Sum. th.* q. 8. a. 1.)

nullos, proximam et formalem rationem, secundum quam Deus dicitur substantialiter rebus adesse, in ipsa divina operatione contineri. Ratio est illa ipsa quam alibi indicavi et mihi semper visa est demonstrativa. Verissimum quidem est, terminum huius relationis quam in Deo concipimus, quum eum dicimus rebus adesse, nec existere nec durare posse, nisi divina actione; siquidem iste terminus sunt ipsae res creatae. At enim, manifestum ex aequo est, causam per quam terminus relationis extat, non esse rationem formalem ipsiusmet relationis de qua quaeritur: quemadmodum operatio artificis ex. gr. causa quidem est qua domus existit, nec tamen est ipsa formalis ratio secundum quam ipse domus adesse intelligitur. Hinc causae praesentia seu indistantia a suo effectu inter *conditiones requisitas ad agendum* adnumerari consuevit, non vero ut aliquid formaliter constitutum per ipsam actionem. Illud etiam minime praelereandum est, nisi res ita concipiatur, in discrimen adduci ipsum dogma de substantiali Dei praesentia. Quocirca prudenter admodum haec notavit M. Liberatore. * In hac re duplex vitium caveatur oportet. Primum est illorum, qui immensitatem Dei confundunt cum spatii imaginariis. . . . Alter declinandus error ille est, qui divinam immensitatem in hoc tantum reponit, quod res creatae scientiae divinae et potentiae subiiciantur. Prima opinatio absurdus abundat, efficitque Deum extensum et compositum; immo, ut rite observat Genuensis, viam ad Spinozismum sternit. Secunda vero immensitatem Dei oratione relinquit, re autem tollit. Quamquam enim theologi, de divina omnipraesentia disserentes, Deum in rebus omnibus per scientiam, per potentiam, et per essentiam esse definiunt; tamen id, quod proprie ad immensitatem pertinet, hoc tertio continetur. Duo enim, quae praecedunt, ex aliis Dei attributis, scientia nimirum et potestate, manant. Nisi igitur *substantialis* Dei praesentia in rebus admittatur, propter quam divina natura ita rebus omnibus insit, ut eas sine ulla admixtione pervadat, totaque in toto mundo, et tota pariter in singulis eius partibus reperitur; Dei immensitas, quidquid ad faciem faciendum

dici velit, e medio revera pellitur. * (*Institutiones Philosophicae*. Theol. nat. c. 3. a. 2.)

444. *Corollarium.* — **Deus est immensus.** — Ex his facile colligitur attributum divinae immensitatis. Quae enim diximus probant, Deum esse ubique non utcumque sed *per se*, ita scilicet ut quavis positione facta, etsi loca in infinitum extendi contingeret, Deus sine ulla sui mutatione eis substantialiter adesse intelligatur. Utrum vero idcirco Deus iam nunc existere dicendus sit nec ne in spatiis illis interminis quae extra hunc mundum imaginamur, tum scholastici Doctores, tum etiam Ecclesiae Patres in ea re discrepant, aliquibus id affirmantibus, aliis vero negantibus. Ceterum haec discrepantia ad usum loquendi revocatur. Quod enim spectat *rem ipsam* quam intendunt ii qui affirmant, ea est secundum doctrinam fidei certissima et naturali rationis lumine manifesta. Nimirum hoc tantum volunt, Deum ex se ita esse in actu, ut si spatia praedicta realia evaderent, Deus eo ipso esset isdem realiter praesentissimus, non quasi ad illa accedendo aliave mutatione secundum locum in Deo intellecta, sed per simplicem positionem termini, quem intelligimus cum dicimus, rem aliam ei esse substantialiter praesentem. Exemplum optimum ducitur a duratione aeternitatis. Certe si considerantur tempora illa possibilia quae ante tempus hoc reale concipimus, nihil deest divinae aeternitati, ut sine ulla sui mutatione iis coexistisset, si realia evasisset. Quod significavit Evangelium Ioannis cum dixit, *In principio ERAT Verbum* (1). Et haec quidem quoad rem

(1) Ea de causa Augustinus oppositum opinandi modum *vaniloquum* recte appellavit. En eius verba. * An forte (Platonici) substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea praesentia ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatii absentem esse dicturi sunt, et uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor, eos in haec *vaniloquia* progressuros. (11. *Cir.* c. 5.) Alii vero suum concipiendi modum hac in re sic describit. * Consti-

ipsam, quam intendunt qui propositae dubitationi affirmative respondent. Neque id ulla ratione inficiantur qui responsioni negativae patrocinantur, puta Vazquez (in 1. p. D. 29. per totam). Id enim tantummodo postulant, nimirum extra hunc mundum nullam rem creatam vel reale aliquid spatium existere, quod *realem habitudinem habeat praesentiae ad divinam substantiam*: putant siquidem id significari particula *in*, quam adhibemus quum proposita fit quaestio. Atqui, citra dubitationem ullam, in nullius ex patronis primae sententiae mentem venit unquam, istiusmodi modum praesentiae adstruere, cum dicunt Deum existere in spatiis quae ultra hunc mundum imaginantur. Non est itaque discrepantia sententiarum *quoad rem ipsam* in proposita dubitatione. Quoad loquendi vero modum, prior, affirmativus scilicet, nobis magis aridet. In quam rem egregie Suarez. * Licet, ait, spatium nihil reale sit, tamen eius apprehensio aut imaginatio nobis utilis est ac fere necessaria ad declarandam praedictam divinae substantiae dispositionem (h. e. immensitatem), et haec sola ratione dicitur Deus praesens spatio priusquam rebus insit, quia nimirum prius in se habet illam dispositionem, quia in-

tuebam in conspectu spiritus mei universam creaturam, quidquid in ea cerere possumus, sicuti est terra, et mare, et aër, et sidera, et arbores, et animalia mortalia; et quidquid in ea non videmus, sicut firmamentum caeli, insuper et omnes Angelos et cuncta spiritalia eius; sed etiam ipsa, quasi corpora essent, locis et locis ordinavit imaginatio mea; et feci unam massam grandem, distinctam generibus corporum creaturam tuam, sive quae vera corpora erant, sive quae ipso pro spiritibus fixerant; et eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram, sed quantum libuit, undique-versum sane finitam. Te autem, Domine, ex omni parte ambientem, et penetrantem, sed usqueperque infinitum: tanquam si mare esset ubique, et undique per immensa spatia infinitum solum mare, et haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset utique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam et dicebam; Ecce Deus et quae creavit Deus, et bonus est Deus atque his validissime longissimeque praestantior; sed tamen bonus bona creavit, id ecce quomodo ambit et implet ea. (7. *Confess.* c. 5.)

dependens omnino est a rebus creatis. Unde praesentia illa, licet ut concipitur et significatur per modum relationis, nihil sit nisi mere relatio rationis, illud tamen absolutum, quod per hanc relationem nos volumus in divina substantia declarare, revera est aliquid in ipso Deo, quod immensitatem eius appellamus. Hanc vero dispositionem vel praesentiam nos ita non concipimus et declaramus per ordinem ad res creabiles ut sic, sicut per ordinem ad spatia, et ideo non dicitur Deus esse praesens rebus possibilibus, sicut spatiis imaginariis, quae ita apprehendimus ac si existerent, non per deceptionem, quia non affirmamus ea existere, sed per simplicem apprehensionem, ut per comparisonem ad spatia sic apprehensa illam divinae substantiae dispositionem seu existendi modum declaremus. (Metaph. D. 30. sect. 7. n. 17.) Confer etiam quae ibidem scite observat n. 28, seqq.

SECTIO V.

De immutabilitate ac aeternitate Dei.

445. **Quae mutatio Deo repugnet.** — Immutabile ex vi nominis significat id in quo mutatio nec inest nec inesse potest. Ad rationem proinde immutabilitatis minime requiritur exclusio mutationis pure *extrinsecae*, ut quae minime contingit in re, quae dicitur immutabilis, sed in alia. Duplex autem immutabilitas in Deo consideratur, *physica* nimirum et *moralis*. Prior spectatur in ipsa divina natura, cuius esse est plane uniforme, sine ulla vicissitudinis obumbratione. Altera vero consistit in constantia divinae voluntatis, quae nihil incipit de novo velle, neque unquam retractat suae sapientiae decreta. Haec posterior immutabilitas, ut acute animadvertit Suarez (Metaph. D. 30. sect. 9. n. 58.), proxime et immediate alia est ab immutabilitate physica, cum ea tamen connectitur. Cum enim

Deus unico eodemque actu suae voluntatis ferri possit in opposita, hinc in absurda hypothese quod innovatio aliqua accideret seu retractatio in suis decretis, *immediate* non haberetur quidem mutatio physica, bene tamen inconstantia quaedam animi seu imprudens modus se gerendi, ut paulo inferius demonstrabitur; ex hoc autem ulterius inferri potest, talem voluntatem esse finitam, atque adeo non habere unde sit physice immutabilis; atque ita *mediate* concluditur, nunquam accidere praedictam mutationem moralem sine mutatione physica. Est praeterea observandum, dupliciter adhuc accipi posse et debere hanc mutationem physicam quae Deo repugnat. Primo quidem sensu proprio, prout scilicet supponit subiectum aliquod reale quod aliter se habere possit in suo esse substantiali vel accidentali. Secundo vero, prout res dicitur mutari eo quod secundum se tota ex nihilo sit vel in nihilum vertatur. Etsi enim haec minime sit mutatio proprii nominis, cernitur tamen etiam in hoc vicissitudo quaedam inter esse et non esse maior adhuc et profundior quam quae est de ratione mutationis proprie dictae. Atqui in istiusmodi vicissitudine consistit imperfectio quam attributum immutabilitatis excludit.

446. **Definitio aeternitatis tradita a Boëthio.** — Cum tradita notione immutabilitatis proxime necitur notio aeternitatis. Definitur optime a Boëthio (3. *Consol.* pr. 2.) sic: *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Quae verba priusquam explerentur, notandum est, hunc etiam conceptum a nobis efformari per viam *excessus et remotiois*. Scilicet quae immediate percipimus, sunt vel tempus vel in tempore. Iam vero in his aliquid cernimus quod ad perfectionem, aliud vero quod ad imperfectionem spectat. Primum quidem duobus contineri videtur, scilicet in *duratione* ipsa, prout huiusmodi, et in *activitate* seu operatione quam concipimus una cum motu cuius duratio dicitur tempus. Haec igitur non solum retinenda sunt in conceptu aeternitatis, sed amplificanda, sic nimirum ut in re sempiterna concipiatur duratio maxima, eaque non iners et quasi mortua, sed cum perfecta activitate eorum quae

vivunt. Alterum vero complectitur multiplicem imperfectionem quae vel est de ipsa ratione temporis, vel propria est eorum quae tempore mensurantur. Sic itaque in recitata definitione

Dicitur 1. *Interminabilis*, ut excludatur ab aeternitate omne principium et finis in duratione, immo et potentia seu capacitas ad alterutrum. Hoc modo distinguitur res sempiterna ab iis quae tempore mensurantur: in his enim concipitur initium vel finis, saltem in potentia.

Dicitur 2. *vitae*. Hac voce significatur aeternitas ut propria perfectio $\omega\omega$ esse non cuiuscumque, sed quod sit vivere seu vita. Sic videlicet resistitur carnali imaginationi, quae in aeternitatis uniformem quandam quasi inertiam repraesentare solet.

Dicitur 3. *tota simul*, ut excludatur propria imperfectio durationis temporanae, successio nimirum. Dicitur autem aeternitas *tota*, non quia habet partes, sed quia nihil ei deest. Ad rem S. Thomas. * In successivis est duplex imperfectio; una ratione divisionis; alia ratione successiois, quia una pars non est cum alia parte: unde non habet esse, nisi secundum aliquid sui. Ut autem excludatur omnis imperfectio a divino esse, oportet ipsum intelligere sine aliqua divisione partium perfectum, et hoc dicit nomen *tota*; non enim dicit rationem partium. Item oportet ipsum intelligere sine successione, et hoc importatur per adverbium *simul*. (1. *Dist.* 8. q. 2. a. 1. ad 4.)

Dicitur 4. *et perfecta*. Haec vox quamvis prima facie videtur superflua, si tamen attente consideretur, est valde opportuna. Imprimis enim hac voce declaratur uniformitas rei sempiternae non solum quantum ad esse substantiale, verum etiam quantum ad operationem. Praeterea sic cavetur ne simultanea existentia quae dicitur esse de ratione aeternitatis, confundatur cum *nunc* seu momento temporis. * Dicendum, ait rursus Angelicus, quod in tempore est duo considerare: scilicet ipsum tempus, quod est successivum, et *nunc* temporis quod est imperfectum. Dicit ergo *tota simul* ad removendum tempus, et *perfecta* ad excludendum *nunc* temporis. (Summa th. 1. p. q. 10. a. 1. ad 5.)

Dicitur 5. *possessio* ad significandam quietem divini esse. Quod enim possidetur, firmiter et quiete habetur: id autem maxime cernitur in propria duratione aeternitatis.

THESIS IX.

Deus, nec nisi Deus, est natura ac consilio plane incommutabilis, atque adeo, vere et proprie, sempiternus.

47. *Demonstratio I. partis.* — Facile colligitur ex principiis praestitutis.

I. Patet imprimis, Deum esse natura plane incommutabilem. Physica enim mutatio non concipitur nisi in ente quod vere sit in potentia vel ad ipsum esse, vel ad aliquam essendi varietatem. Atqui Deus, utpote actus purissimus, est ab omni potentialitate alienus. Id ipsum manifeste confirmatur ex infinita Dei perfectione. * Omne quod movetur, ait sanctus Thomas, motu suo aliquid acquirit, et pertingit ad illud ad quod prius non pertingebat. Deus autem, cum sit infinitus, comprehedens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus. Et inde est, quod quidam antiquorum, quasi ab ipsa veritate coacti, posuerunt primum principium esse immobile. (*Summa th.* 1. p. q. 9. a. 1.)

II. Repugnat praeterea mutatio quaevis moralis, in consilio scilicet divinae voluntatis. Duobus enim modis id fingi potest. Primo modo, quatenus voluntas divina manserit ab aeterno quasi suspensa in suis decretis liberis, quin in alterutram partem inclinaretur, aut volendo rem, aut definite nolendo; quae divinae voluntatis suspensio fingatur deinde auferri per decretum ad alterutram partem determinatum. Alio modo, quatenus fingatur, de-

cevisse quidem tali tempore ex. gr. creare Petrum, ac postea nolle pro eodem tempore creare illum. Atqui in utroque magna cernitur imperfectio voluntatis. Ergo est plane a Deo aliena. Praeterea vel Deus ab aeterno novit quid in tempore decerneret vel non. Hoc postremum manifeste excluditur a divina omniscientia. Ergo novit. Atqui est res plane irrationabilis, quod Deus hoc sciens, nihilominus vel maneat quasi suspensus in suis decretis, vel decernat id quod scit se non fore exequiturum.

III. Ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum, ut ex dictis patet. Cum itaque Deus sit omnino immutabilis, ei maxime convenit esse aeternum. * Nec solum, addit S. Thomas, est aeternus, sed est sua aeternitas; cum tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum esse. Deus autem est suum esse uniforme; unde sicut est sua essentia, ita est sua aeternitas. (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 2.)

48. *Demonstratio II. partis.* — Probandum est, assertam immutabilitatem, et quae inde consequitur, aeternitatem nulli rei creatae convenire posse, ac proinde attributa esse solius Divinitatis. Id autem sic convincitur. Creatura enim quaelibet, etiam incorruptibilis, quemadmodum ex nihilo potuit in esse produci, ita de esse potest reduci in non esse, per potentiam scilicet Creatoris [243]. Datur itaque in omni creatura prior modus transmutabilitatis, secundum quem res dicitur ex nihilo esse, vel in nihilum vertibilis. Praeterea creatura quaelibet vel est corporalis vel spiritualis. Si corporalis, multiplici transmutationi obnoxia est quae reducit in rebus materialibus. Quod si fuerit spiritualis, necesse est etiam alieni mutationi proprie dictae subiacere vel subici possit. Ratio est, quia cum obiectum adaequatum intellectus sit ens in tota sua amplitudine sumptum, cuiuscumque creaturae mens semper manet in potentia ad alia intelligenda quae prius ignorabat, vel ad perfectius intelligendum quod prius non comprehendebat. Omnis itaque creatura transmutabilis est, et consequenter nulla est aeterna, aeternitate scilicet vere et proprie eiusmodi.

Solvuntur difficultates.

449. **Obiectio I.** — Motui videtur opponi inertia. Si itaque Deus est plane immobilis, res quaedam iners seu mortua videtur, quod certe est magna imperfectio.

Respondeo. *Dist. antec.* Si motus accipitur communissime, pro quacumque operatione scilicet, *conc.*; si accipitur communiter pro mutatione, *neg. Contradist. conseq.* Solutio patet ex declaratione terminorum suo loco tradita [138].

Instabis. Cum Deus mundum condidit, factus est in tempore Creator et Dominus. Atqui hae denominationes sunt reales. Ergo aliquid reale in tempore Deo adventit, quod sine mutatione minime intelligitur.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Si concipiatur per modum relationis Deo inhaerentis, *neg.*; si concipiatur ut relationes quarum subiectum sunt creaturae, Deus vero terminus, *conc. Dist. pariter consequens.*

Revocandum est in memoriam quod alibi docuimus [Pr. Ph. 447], denominationem extrinsecam, puta esse cognitum, honoratum, etc. dupliciter apprehendi posse. Uno modo, prout revera est, ita ut res cui tribuitur haec denominatio, concipiatur mere ut terminus relationis realis in alia existentis. Alio modo, si apprehendatur ad instar formae cuiusdam ei inhaerentis. Si priori modo concipitur, patet nullam mutationem habere locum in eo cui de novo hae denominationes tribuuntur. Quod si alio modo apprehenduntur, concipitur quidem quasi mutari terminus ipsarum, sed hoc procedit ex imperfectione mentis, quae per modum formae concipit quod forma revera non est, atque adeo dicitur *ens rationis*. Iam vero ita res habet in denominationibus Creatoris et Domini quas Deo tribuimus: exprimitur siquidem relationem realem, cuius tamen subiectum non sunt nisi creaturae, Deus vero terminus. Unde Augustinus. * Quod ergo, inquit, temporaliter dici incipit Deus quod ante non dicebatur, manifestum est relative

dici; non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius ad quod dici aliquid Deus incipit relative. (5. *Trinit.* c. 16. n. 17.) Confer quae alibi diximus [Pr. Ph. 557, seqq.].

Obiectio II. — Deus vult diversa, immo et opposita. Atqui hoc sine diversitate actuum divinae voluntatis non intelligitur. Ergo datur in Deo actuum diversitas ac proinde mutatio.

Respondeo. *Permissu maiore, neg. min.* * Aliud est, ait S. Thomas, mutare voluntatem, et aliud est velle aliquid rerum mutationem. Potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc et postea fiat contrarium. (*Summa th.* 1. p. q. 9. a. 7.) Transmisimus autem maiorem, quia Deus vult quidem diversa, non tamen proprie opposita. Etsi enim Deus velit, ut modo diximus, quod nunc fiat hoc et postea fiat contrarium, haec non sunt striete opposita, cum sint diversis temporibus. Quod si quis hanc difficultatem urgeat ex eo quod Deus potuisset ab aeterno nolle illud ipsissimum quod libere vult, respondendum est, neque hoc mutabilitatem ullam importare in divina voluntate: quod proprio loco pro imbecillitate nostra declarabimus.

Obiectio III. — Quum de divinis loquimur, adhibemus sine falsitate verba secundum diversa tempora quibus inflectuntur. Sic dicimus Deum *fuisse ante* creationem. Ergo dantur in Deo differentiae temporis, nec propterea sempiternus dici debet.

Respondeo. *Dist. antec.* Quantum ad actum quem haec verba significant, *conc.*; quantum ad modum quo significant, *neg.* Sub data *dist. neg. conseq.* Sedulo distinguere oportet, in his verbis etiam, rem significatam a modo significandi. Sic quando dicimus, Deum fuisse ante mundum, significamus existentiam Dei initio carentem. Id vero exprimitur ad modum existentiae quae praeterit quasi nunc non esset. Primum itaque cum excessu affirmari debet de Deo: alterum vero negari, ut generatim dictum est de nominibus Deo attributis [420]. Ad rem S. Thomas. * Quando verba temporalia dicuntur de Deo, intellectus

noster non attribuit divino esse illud quod est imperfectionis in singulis temporibus, sed quod est perfectionis in omnibus: aeternitas enim includit in se omnem perfectionem modo simplici, quae est in temporalibus divisa et temporibus diversis; cum tempus imitet perfectionem aeternitatis quantum potest. » (1. *Dist.* 8. q. 2. a. 3. ad 1.)

Instabis. Si Deus una eademque indivisibili duratione suae aeternitatis rebus omnibus coëxisteret, ergo vixissim unaquaeque creatura, immo unumquodque temporis momentum, toti aeternitati coëxistere dicenda forent. Atqui quod toti aeternitati coëxistit, eo ipso est aeternum. Ergo omnia omnino aeterna forent, quod nemo dicit.

Respondeo. *Dist. mai.* Sic tamen ut haec in duratione minime adaequantur, *conc.*; ita ut haec adaequatio locum habeat, *neg. Contradist. min. et neg. conseq.* Quemadmodum Deus totus videri potest ab intellectu creato, sed non totaliter, ita ut adaequata seu comprehensiva cognitione comprehendatur; sic etiam unaquaeque creatura toti quidem divinae aeternitati coëxistit quin eam sua duratione adaequet eique perfecte respondeat. Ratio est, quia divina aeternitas, tametsi maxime simplex, aequivalet tamen in duratione indefinitis temporibus sibi succedentibus (1), sicut etiam divina immensitas unica et maxime indivisa suae substantiae praesentia spatium omne complectitur sive reale sive etiam mere possibile. Patet autem,

(1) Cum duratio divina dicitur aequivalere diversis temporibus, cavendum est omnino, ne ulla ratione compositio seu successio etiam virtualis in ea concipiatur, quemadmodum contingit in duratione rei aeviternae, ut suo loco declaravimus [191]. Et in hoc maxime certitur divinae aeternitatis summa actualitas et indivisio. Scilicet in duratione rei aeviternae, ut est ex. gr. Angelus consideratus in suo esse substantiali, non datur quidem ulla successio realis, sed *virtualis* certe in eo consistens, quod coëxistentia quam habet, puta ad diem hodiernam, minime per se connectitur cum eius coëxistentia ad diem eternam; unde continuato influxu indiget divinae conservationis ut in esse perduret. Atqui nihil istiusmodi concipere fas est in supereminente actualitate seu nunc aeternitatis.

nullius creaturae sive durationem sive praesentiam esse eiusmodi. Unde nequit dici aeterna, sicut nec immensa.

Obiectio IV. — Plura praeter Deum vocantur aeterna. Ergo aeternitas non est attributum soli Deo proprio.

Respondeo. *Dist. antec.* Quoad veritatem quam habent in intellectu divino, vel etiam quoad ipsorum essentiam absolute spectatam, *conc.*; quoad ipsum esse reale eorumdem seu durationem, *subdist.*; quia prae aliis magis participant de intransmutabilitate divina, *conc.*; quia sunt revera et omnino intransmutabilia, adeoque aeterna vere et proprie, *neg. Sub data dist. neg. conseq.*

Secundum quod aliqua, inquit Angelicus, ab ipso (Deo) inmutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliqua eius aeternitatem participant. Quaedam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod nunquam esse desinant... Quaedam etiam aeterna in Scripturis dicuntur propter diurnitatem durationis, licet corruptibilia sint... Quaedam autem amplius participant de ratione aeternitatis, in quantum habent intransmutabilitatem vel secundum esse vel secundum operationem, sicut Angeli et Beati qui Verbo fruuntur; quia quantum ad illam visionem Verbi non sunt in sanctis volubiles cogitationes, ut dicit Augustinus 15. *Trin.* c. 16 (1). Unde et evidentes Deum dicuntur habere vitam aeternam. » (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 3.) Et haec quidem de aeternitate durationis. Dicuntur praeterea tum veritas tum essentiae rerum aeternae, sed alio omnino sensu ac Deus; quod qua ratione sit intelligendum suo loco abunde explicatum dedimus [*Pr. Ph.* 481, seqq.].

(1) Quae hic dicuntur ab Augustino de visione beatifica, dici etiam debent de amore fructivo Sanctorum in Coelo regnantium: est quippe eadem ratio.

SECTION VI.

De divina unitate.

450. **Ratio tractationis.** — Huc usque perfectionem divinae naturae quasi abstracte et absolute consideravimus. Reliquum est, ut, rem quasi in concreto considerando, determinemus quod sit *subiectum*, ut ita dicam, huius naturae simplicis omnino ac infinite perfectae. Etsi porro, haec quaestio definita iam videri potest ex his quae ante demonstravimus [428, 429], summa rei gravitas omnino postulat, ut specialem hunc tractatum conficiamus, praesertim cum divinae naturae unitas seu immultiplicabilitas ex eius infinitate iam demonstrata amplissimam habeat confirmationem. Inde etiam manifestum fiet, nullam ex rationibus, quae rite afferuntur ad divinam unitatem comprobendam, afferri etiam posse contra divinarum Personarum Trinitatem quam catholica Fides praedicat.

451. **Polytheismi error.** — Polytheismus, seu plurium deorum cultus, circa Abrahae aetatem coeptus, ac deinceps longo saeculorum decursu ubique terrarum late propagatus, una est ex humanae mentis aberrationibus, unde edocemur, quanta sit nostrae naturae infirmitas, quidque possit homo, ubi *senel evanescat in cogitationibus suis*, ut ait Apostolus Rom. I. 21. Huius cultus sive ortum sive progressum B. Thomas, Scripturae et Patrum vestigiis insistens, ex pluribus causis derivat.* Dicendum, aut, quod idololatriae est duplex causa. Una quidem dispositiva; et haec fuit ex parte hominum, et hoc tripliciter. Primo quidem ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem hominem vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem divinum ei impenderunt... Secundo propter hoc quod homo naturaliter de representatione delectatur, ut Philosophus dicit in Poëtica sua, c. 2.; et ideo homines rudes a principio videntes per diligentiam artificum ima-

gines hominum expressive factas, Divinitatis cultum eis impenderunt.... Tertio, propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis, propter pulchritudinem seu virtutem, Divinitatis cultum exhibuerunt... Alia autem causa idololatriae consummativa fuit ex parte daemouum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, et aliqua quae videbantur hominibus mirabilia faciendo; unde et in Ps. 95, dicitur; *Omnes Dei gentium daemonia*. (Summa th. 2. 2^{ae} q. 94. a. 4.) Quamquam vero ethnici multitudinem deorum venerarentur, plurimi tamen eorum unum summum Deum dicebant, qui primum inter ceteros teneret. Quare Augustinus, *Illi multorum* (deorum) *cultores, de hoc uno Domino cuactorum et Rectore consentiunt.* (De vera Religione, c. 25.) Immo fere omnes viri in philosophia eruditi unum tantum agnoverunt Deum, ut de Socrate, Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque constat; qui propterea in eo facti sunt inexcusabiles, ut notat Apostolus Rom. I. 21., quod *cum agnovissent Deum, non tanquam Deum glorificaverunt*, ac populi errorem, sive ex timore, sive ex vanae gloriae pruritu turpiter dissimularunt. Hinc autem consequitur, polytheismum nunquam fuisse confirmatum *communi naturae sensu*: nullum enim ex characteribus sibi vindicat quibus insigniuntur communes illae sententiae quae ad eiusmodi sensum spectare dicuntur. [Pr. Ph. 323, seqq.] Nullum itaque praedictum inde creari potest, sive contra argumentum quod ex omnium nationum consensu suo loco desumpsimus [399] ad divinam existentiam comprobendam, sive contra thesim mox constabiliendam de divina unitate.

THESIS X.

Natura divina, cum sit summa quaedam res simplex omnino ac infinite perfecta, multiplicari neququam potest; quod etiam adspectabilis unitas huius universi abunde confirmat. Non datur itaque nisi unus Deus.

452. *Demonstratio.* — Ut patet ex thesisi enuntiatione, tria argumenta in rem praesentem adducimus, quibus utitur Angelicus (*Summa th. 1, p. q. 11, a. 1.*): quandoquidem, si bene penetrentur, nihil ulterius desiderari potest ad plenissimam huius veritatis demonstrationem.

Argumentum I. — Sumitur ex *summa Dei simplicitate*. Quodcumque enim aliqua natura multiplicatur in pluribus individuis, in unoquoque ipsorum intelligatur necesse est, tum illud quod per se convenit naturae communi, tum etiam differentia, quaecumque ea sit, qua haec natura in eo sive specificatur sive saltem individualitur. Haec vero compositionem aliquam subaudiunt vel efficiunt, si minus realem, at certe virtuaalem: unde fit ut in tali individuo non sit omnino idem id unde est ex. gr. homo, cum eo unde est *hic homo* [*Pr. Ph. 363*]. Si itaque Divinitas multiplicaretur in pluribus Diis, unusquisque ipsorum non ex una eademque formali ratione esset *Deus et hic Deus*, sed compositio aliqua, saltem virtualis, in eo existeret ex natura communi unde diceretur *Deus*, et differentia unde esset *hic Deus*. Atqui hoc omnino repugnat divinae simplicitati [425]. Ergo impossibile est, esse plures Deos. Huc redit demonstratio Aquinatis sic aientis. * Illud unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim unde Socrates est homo, multis communicari potest; sed id unde est *hic homo*, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est *hic homo*, sicut non possunt esse plu-

res Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo: nam ipse Deus est sua natura, ut supra ostensum est. Secundum igitur idem est Deus et *hic Deus*. Impossibile est igitur esse plures Deos. (*Summa th. loc. cit.*) (1).

(1) Uti vides, haec ratio, prout eam declaravimus, non necessario dependet ex opinione quae principium individuationis rerum numerice tantum distinctarum repetit ex materia quantitate signata [119]. In omni quippe sententia illud semper est evidenter certum, dari scilicet in his rebus compositionem virtuaalem naturae specificae cum singularitate quam sortitur in singulis individuis quae eam naturam participant, undecumque demum habeatur fundamentum seu radix singularitatis istiusmodi. Atqui hoc abunde sufficit ut reclusa argumentato valorem demonstrativum habeat. Insuper animadvertere oportet, haec demonstratione probatum iri, Deum nullo modo multiplicari posse, non solum numerice dumtaxat, sed nec specificae vel generice. Constat autem apud omnes, differentiam specificam vel genericeam, non sumi ex parte materiae quantitate signatae. Ergo minime potest demonstrari, quam modo fecimus, dependere ex opinione illa de materia signata ut individuationis principio, cum praesertim valde imprudens sit, probare rem certissimam per principia quae limites opinionis praetergredi non possunt. Neque obstat, si quis dixerit S. Doctorem loc. cit. appellare ad ea quae ante dixerat a. 3. q. 3., ubi mentionem iniicit *materiae individualis*. Si enim attente legatur iste articulus, patebit, totam vim demonstrationis quae ibi S. Doctor utitur ad ostendendum, Deum esse suam naturam, ex eo repeti quod, semper ac res aliqua non est sua natura, quemadmodum Petrus ex. gr. non est sua humanitas, hoc ideo contingit, quia in ea re, praeter id omne quod *per se* comprehendit definitio illius naturae, datur aut dari potest *aliquid aliud*, scilicet quod *per se minime comprehenditur in tunc definitione*. Porro hoc principium est sine dubio verum etiam seclusa opinione illa de materia individuali. Hinc alibi idem Angelicus eandem instans argumentationem, sic illam proponit quae meminerit quidpiam de tali materia. * Illud, ait, quod essentia communis individuatur, impossibile est pluribus convenire: unde licet possint esse plures homines, impossibile tamen est, hunc hominem esse nisi unum tantum. Si igitur essentia per se ipsam individuatur, et non per aliquid aliud, impossibile est quod pluribus conveniat. Sed essentia divina per se ipsam individuatur, quia in Deo non est aliud essentia et quod est, quam ostensum sit c. 10., quod Deus sit sua essentia. Impossibile est ergo, quod sit Deus nisi unus tantum. (*Compend. Theol.*, c. 15.) Probarerat autem cit. cap. 10.,

Confirmatur I. Esse actu in rerum naturae nulli convenit nisi secundum quod est individuum signatum seu determinatum; universalis siquidem non habent esse nisi ratione singularium. Si itaque de formali ratione alicuius naturae sit esse actu in rerum natura, oportet ut de formali ratione eiusdem naturae sit individualio eaque signata seu determinata. Atqui de formali ratione Divinitatis, ut sic, est esse actu in rerum natura [427]. Ergo Divinitas, qua talis, est res omnino individua signata seu determinata. Constat autem, rem eiusmodi esse immultiplicabilem. Ergo Divinitas multiplicari non potest. Apposite rursus S. Thomas. * Esse proprium cuiuslibet rei est tantum unum. Sed Deus est esse suum, ut probatum est. Impossibile est igitur esse, nisi unum Deum. (1. *Cont. Gent.* c. 42.) Confer quae alibi diximus [*Pr. Ph.* 580, II].

Confirmatur II. Si essent plures Dii, ergo vel in essentia omnino assimilarentur ac numerice tantum invicem distinguerentur, vel essentiam non modo distinctam sed diversam etiam haberent. Si primum, specificè; si secundum, genericè convenirent. Atqui repugnat simplicitati divinae naturae, ut Deus concipiatur sive per modum generis sive per modum speciei de pluribus praedicabilis [428, 429]. Ergo impossibile est, esse plures Deos. Etiam haec confirmatio est Aquinatis. * Si sint multi Dii, inquit, aut aequivoce, aut univoce dicuntur. Si aequivoce, hoc non est ad propositum: nihil enim prohibet, quod nos appellamus lapidem, alios appellare Deum. Si autem univoce, oportet quod conveniant vel in genere vel in specie. Ostensum est autem, quod Deus non potest esse genus, neque species plura sub se continens. Impossibile est

Deum esse suam naturam, unice ex eo quod, cum Deus sit omnino simplex, nequeunt in eo inveniri plura quorum unum est per se, aliud vero per accidens; et insuper ex eo quod, cum sit actus purus, nihil potentialitatis in eo invenire licet: quae profecto principia veritatem habent in omni sententia, etiam seclusa speciali illa opinione de materia signata ut individuationis principio.

igitur, esse plures Deos. (*Compend. Theol.* c. 15.) Consulto S. Doctor in facta enumeratione omisit alium modum convenientiae qui fingi posset inter plures Deos, quae nimirum existit inter ea quae analogia dicuntur per intrinsecam denominationem extremorum, sive *secundum esse et intentionem* [*Pr. Ph.* 34]. Haec analogia optime intelligitur inter Deum et creaturas, quemadmodum etiam inter substantiam et accidens; sed nulla ratio interiacere potest inter plures Deos, si essent. Tunc enim talis analogia habetur, quando una ratio obiectiva ex se postulat ut determinato quodam ordine ad sua inferiora descendat, ita ut in uno inveniatur primario et absolute, in altero vero secundario et in ordine ad primum. Atqui risibile est concipere Deum ab alio dependentem.

453. **Argumentum II.** — Paucis et nitide sic proponitur a S. Thoma. * Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent plures Dii, oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni quod non alteri. Si autem hoc esset, perfectio alteri eorum deesset, et sic ille in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus. Impossibile est ergo esse plures Deos. Unde et antiqui philosophi quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium. (*Summa th.* 1. p. q. 11. a. 3.) Haec ratio est omnibus numeris absoluta, si duo notentur. Primo, nullum committi circulum vitiosum in hoc argumentandi modo. Etsi enim attributa divinae unitatis et infinitatis mutuo se inferant, prout tamen unum assumitur tanquam principium ad alterum inferendum, ei tanquam principio minime inimitur, ut patet comparando hanc demonstrationem cum altera ante adhibita [427]. Secundo, vim huius probationis minime eludi posse, si dicatur, plures quidem Deos existere, sed inter se simillimos omnino, quemadmodum in divina Trinitate sunt plures personae divinae, quae, utpote inter se aequales, simul acceptae non sunt quid melius quam singulae seorsum sumptae. Disparitas quippe manifestissima est. Nam unaquaque Persona omnino identificatur cum summa illa re, seu substantia aut natura divina, quae

est Trinitas: quare nihil mirum, si in unaquaque inveniat quiddam perfectionis habetur in tota divina Trinitate, ut theologi latius exponunt ubi de *circuminsessione divinarum Personarum* sermonem instituunt. At nihil eiusmodi cerere licet, si plures Dii existerent. Isti enim, ut ut similibi, numerice tamen differunt secundum esse. Hoc autem esse, secundum quod numerice differunt, unum in altero minime continetur. Non enim continetur secundum suum actum formalem, sic enim cum eo esset unum idemque; nec etiam in eo continetur secundum actum aliquem eminentialem, quo effectus dicitur contineri in suo principio activo; quia unusquisque Deus est ab alio independens. Ergo verissime dixit S. Thomas, in tali absurda hypothesi nullum e Diis qui obtruduntur, continere totam essendi nobilitatem. Accedit etiam, quod si ponantur istiusmodi deitates simillimae, multitudinem infinitae sint oportet: si enim sunt duae, cur non tres? si tres, cur non quatuor? et ita porro. Atqui haec conclusio est omnino ridicula.

Confirmatur hoc argumentum, ductum ex infinitate divina, alia ratione. Nam iuxta praecelaram illam regulam ab Ambrosio traditam, ad digne concipiendam divinae perfectionis amplitudinem: *Quiddam religiosus sentiri potest, quiddam praestantius ad decorem, quiddam sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire.* (1. De Fide, c. 16. n. 106.) Atqui aliquid ad decorem et potestatem pertinens Deo deesset, si unicus non esset. Constat hoc imprimis ex communi naturae sensu: siquidem naturali ductu dum quempiam laudare maxime volumus, nullum habere parem dicimus. Constat etiam propterea quia, si plures sunt Dii, nulli competeret absolutissimum et monarchicum universi dominium, quod quidem est manifesta et pura perfectio; alter enim ab altero impediti posset, quominus perfereret quae vellet. Recurrere autem, ut hoc inconveniens vitetur, ad colligationem quamdam et sympathiam liberarum voluntatum, tantumdem valet ac imperfectionem unam auferre per aliam longe graviorem, cuiusmodi sane esset ista voluntatum colligatio, *liberarum* licet et *divinarum*. Ad rem Tertullianus. "Quantum humana conditio de Deo definire

potest, id definitio, quod et omnium conscientia agnosceret, Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine fine, et cetera. Quae erit iam conditio ipsius summi magni? Nempe, ut nihil illi adaequetur; id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, non erit iam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unicum sit necesse est quod fuerit summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, cum hoc sit summum magnum, par non habere? par autem non habere unum competat, in duobus esse nullo modo possit? . (1. Cont. Marcion. c. 3.)

454. *Argumentum III.* — Huc spectat ratio desumpta ex ordine mundano. Quemadmodum scilicet inde demonstravimus existentiam Dei sub conceptu alienius supremi Ordinatoris et Gubernatoris totius universi [392, 393], sic etiam modo ostendimus hunc Ordinatorem et Gubernatorem esse unum tantum, *physice* nempe, non *moraliter*, qualis esset ex. gr. *communis plurium deorum consensus*. Probatur vero sic. Ex admirabili constantia et uniformitate mundant ordinis, quisque sponte naturae assurgit ad *unitatem* causae istius ordinis: secus tanta constantia et uniformitas esset plane fortuita et casualis. Haec porro causae unitas vel est per se vel per accidens. Per se quidem, si causa ordinatrix et gubernatrix sit physice una: per accidens vero, si talis unitas non exurgat nisi ex plurium voluntatum consensione, qualis ex. gr. cernitur in comitiis. Atqui non potest in prima causa, ordinante et gubernante hoc universum, posterior dumtaxat unitas agnosci. Ergo supremus gubernator et ordinator huius universi est unus physice, adeoque unus est Deus, non deorum pluralitas. Probatur minor. Unitas enim per se est potior unitate per accidens; est quippe unitas simpliciter dicta, unitas vero per accidens secundum quid dumtaxat hoc nomen meretur. Est proinde natura prior unitate per accidens: secundum enim naturae ordinem non imperfectiora sed perfectiora praecedunt [*Pr. Ph.* 575].

Atqui causa suprema huius ordinis perfectissima ac simpliciter prima sit oportet, cum in ea habeatur prima origo perfectionum omnium quae ad hunc mundanum ordinem spectant. Ergo suprema causa ordinans et gubernans hoc universum est physice una, adeoque unus Deus. Atque huc redit ratiocinatio Angelici sic aientis. * Omnia enim quae sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quaedam quibusdam deserviunt. Quae autem diversa sunt, in unum ordinem non convenirent, nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum quam per multa: quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud quod est primum, sit perfectissimum, et per se non per accidens; oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum. Et hoc est Deus. (Summa th. loc. cit.) Confer etiam quae habet paulo inferius q. 103. a. 3. Item Suarez (*Metaph.* D. 29. sect. 2.) ubi exceptiones adversariorum optime refelluntur.

455. *Corollarium.* — **Deus est maxime unus.** — Cum enim unum dicatur ens indivisum, ei maxime ratio unitatis convenire dicenda est, quod et est maxime ens, et est maxime indivisum. Atqui Deus imprimis est maxime ens, utpote absolute et infinite perfectum. Sed et est maxime indivisum. Duplex quippe indivisio consideratur in ente, prout est et dicitur unum; altera in his quae ad ipsam constitutionem cuiusque rei pertinent; altera, secundum quod unum ens in plura eiusdem rationis non dividitur [*Pr. Ph.* 452, IV; 456]. Prior modus indivisionis Deo maxime convenit ratione omnimodae simplicitatis suae naturae: alter vero, ex priori consequens, ob eiusdem naturae omnimodam immultiplicabilitatem. Id autem nulla ratione opponitur divinae Personarum Trinitati. Haec enim nullam in Deo compositionem arguit, ut ante declaravi- mus [425, nota]. Ergo quemadmodum summa simplicitas divinae naturae optime cohaeret cum Trinitate personarum in quibus ipsa subsistit, sic etiam cum eadem Trinitate optime cohaerere dicenda est divinae naturae immultipli-

cabilitas quae ex simplicitate consequitur. Praeterea, quavis tres Personae divinae invicem distinguuntur, sunt tamen una eademque summa res per se necessaria et infinite perfecta. Necessitas proinde essendi et infinita perfectio convenit Personis divinis ratione essentiae cui plane identificantur, quaeque maxime una est unitate singularitatis. Quapropter, sicut ex pluralitate divinarum Personarum nulla ratione licet inferre plura existere entia infinite perfecta, ut paulo ante ostendimus [n. cit.], sic etiam ex eadem pluralitate minime fit consequens, plura dari entia per se necessaria. *In ipsa enim, ait S. Thomas, perfectione divini esse continetur et Verbum intelligibiliter procedens, et principium Verbi, sicut et quaecumque ad eius perfectionem pertinent.* (Summa th. 1. p. q. 27. a. 2. ad 3.)

SECTIO VII.

Quid censere licet quasi constitutum divinae naturae.

456. **Quaestio solvenda eiusque utilitas.** — Ex his quae huc usque disputavimus de perfectione divinae naturae, haud difficulter resolvi potest quaestio passim agitata, de *constitutio*, ut aiunt, divinae naturae. Etsi enim Deus sit res maxime simplex, pluribus diversisque conceptibus in mente nostra repraesentatur propterea quod ad illius cognitionem non assurgimus nisi ex contemplatione rerum creaturarum. Perfectiones porro in creaturis a Deo participatae in una eademque re, non solum distinguuntur invicem, sed mutuo sic subordinantur, ut una proprietas oriatur ex alia, et haec rursus ex alia priori, quousque ventum fuerit ad ipsa constitutiva rei cuiusque essentialia, quae propterea intelliguntur quasi perfectio suprema (non habens se priorem) inter omnes, quae rem constituunt in certo ordine entium, et ab omnibus aliis

distinguunt. Sic ex. gr. vis appetitiva humanae voluntatis ex intellectiva, et haec ex immaterialitate ipsa animae derivatur [207]. Iure igitur quaeri potest, an secundum imperfectum modum intelligendi inter rationes multiples, quas de Deo iam asseruimus ut eius summa perfectio quadantenus in mente nostra adumbretur, assignari possit aliqua, quae intelligatur in Deo esse quasi suprema radix ceterarum, et ex qua proinde haec velut a priori demonstrari valeant. Vides igitur totam hanc disquisitionem esse plane methodicam. Utilitate tamen minime vacat. Ut enim optime notavit Card. Franzelin: "Sicut distinctio perfectionum Dei secundum diversas rationes necessaria est, ut defectum intensionis unius conceptus nostri extensio per conceptus plures aliquatenus suppleat; ita determinatio, quid in Deo instar *essentiae* declarato modo concipi debeat, conciliabit unitatem multiplici rationum, sub quibus Dei perfectiones cogitamus, cognitionemque nostram reddet profundiorum et simplicitati sui obiecti magis accommodatam." (*De Deo uno*, th. XX.)

457. **Praenotio supponenda.** — Ut aulem propositae quaestionis solutio facilius evadat, et ipsi termini exactius intelligantur, revocanda est in memoriam distinctio alibi tradita [*Pr. Ph.* 96] inter *essentiam rei physice et metaphysice* consideratam. Physice spectatur, quum rei constitutiva exhibentur secundum statum quem habent citra praecisionem mentis. Hoc modo, si de rebus subsistentibus agatur, essentia est ipsamet earundem *substantia*; ac propterea si composita est, ut principia physice rem constituentia iure assignantur materia et forma. Dicuntur autem *proprietates* essentiae, sic spectatae, quae reipsa ab ea distinguuntur, ab ea tamen naturali dimanatione procedunt, ut sunt facultates omnes naturales. In metaphysica vero consideratione, tamquam praedicata rei essentialia, ea dumtaxat spectantur quibus primo res intelligitur constitui in suo esse, quae ratio sunt ceterorum, tametsi haec minime ab eis reipsa distinguantur. Hoc modo ex. gr. immortalitas consideratur non ut essentialiale constitutum, sed per modum proprietatis consequentis essentiam animae rationalis, quamquam nulla

finigi debeat distinctio realis inter utramque. Porro ad hanc considerationem spectat definitio quidditativa cuiusque rei quae traditur per genus proximum et differentiam specificam. Ad hanc etiam, latiori quadam acceptione, revocatur distinctio in Philosophia Prima adhibita inter essentialem rationem entis transcendenter accepti, eiusque proprietates [*Pr. Ph.* 450].

Age vero patet I. quaestionem propositam minime referri posse ad *essentiam Dei physice* consideratam. Ita enim si sumatur, involvit constitutive perfectionem omnem quae reipsa Deo competit. In eo quippe non licet invenire ullum accidens, neque aliud quidpiam quod non sit ipse Deus.

Patet II. minime etiam expostulari posse in re praesenti proprietates, quae ad *essentiam* comparate compositionem ullam metaphysicam seu virtuaalem cum ea efficiant: tale enim genus compositionis est omnino alienum a divina simplicitate [425]. Quocirca constitutum essentiae divinae quod quaerimus, concipi debet respectu suarum proprietatum ad eum fere modum, quo formalis ratio entis communissimi se habet ad suas proprietates transcendentes: sic quippe in tuto manebit distinctio, virtualis quidem, sed late tantum praecisiva, quam unice fas est Deo attribueri.

THESIS XI.

Essentia Dei, metaphysice considerata, optime exprimitur per hoc, quod sit ipsum ESSE, irreceptum scilicet seu per se subsistens.

458. **Probatio.** — Cum essentia rerum creaturarum, metaphysice spectata, per genus et differentiam explicetur; id autem minime locum habet in divina natura: eae seligendae sunt notiones ad illam metaphysica quasi definitione comprehendendam, quae cum genere et differentia

analogiam aliquam referant. Atqui id optime efficitur per hoc quod Deus dicitur *ipsum Esse*. Ergo haec formula optime exprimitur essentia Dei metaphysice considerata.

Probatur minor. Deus dicitur *ipsum Esse*, quia est *Ens cuius essentia est esse*; unde esse divinum dicitur etiam *irreceptum* seu *per se subsistens*. Quare hic conceptus, ut a nobis apprehenditur, duplici ratione coalescit. Prima est communissima ratio entis: altera exprimit proprium modum divinae entitatis, per hoc nimirum quod esse non sit quasi adveniens alicui quidditati vel ex ea quocumque modo profluens, sed sit ipsa divina quidditas. Atqui prima ratio optime adhibetur loco generis, h. e. secundum quandam analogiam cum genere: altera vero optime tenet vicem differentiae. Prob. hoc per partes.

I. Ac primo quidem communissima ratio entis rectissime hic usurpatur ad instar generis. Per hoc enim exprimitur convenientia, analogica quidem, quae intercedit Deum inter et creaturas. Etsi enim plures aliae existunt notiones quae propria affirmatione dicuntur de Deo et creaturis, ipsa tamen notio entis longe exactius in re praesenti accipitur. Ratio est, quia assignare oportet illud praedicatum, secundum quod omnia Deo assimilantur ut universalis principio totius esse. Constat autem, hoc aliud non esse quam ipsam communissimam entis notionem. Hinc S. Thomas observat, praeter ceteris aliis nominibus, nomen entis aptius esse ad divinam substantiam significandam, quia scilicet alia nomina dicunt esse particulatum, nomen vero entis nullum particularem modum essendi coarctat, sed se habet indeterminate ad omnes. (*Summa th.* 1. p. q. 13. a. 11., 1. *Dist.* 8. q. 1. a. 1.)

II. Rectissime etiam per modum quasi differentiae assignatur *subsistentia* seu *irreceptio* esse divini. Tria enim sunt munera differentiae specificae, nimirum rem primo constituere in proprio entis gradu quem obtinet, secernere ipsam a ceteris, ac veluti radicem exhibere omnium reliquarum proprietatum. Atqui haec tria optime declarantur per hoc quod Esse divinum dicitur *irreceptum* seu *subsistens*. Primum quidem, quia haec notio non habet

aliam se priorem, nisi hanc, quod scilicet Deus sit prima mundi causa efficiens [415]. Atqui hoc attributum, nimirum primae causae efficientis, utpote contingenter et ex tempore Deo conveniens, nequit assignari ut essentialia constitutum divinae naturae. Discernit secundo haec nota Deum ab omni alio: solus quippe Deus est *sum esse*, cetera vero esse quidem habent, sed minime sunt illud ipsum esse quod habent. Denique ex hac nota ceterae omnes perfectiones divinae quasi a priori demonstrantur, ut manifestum fit ex iis quae in tota hac Disputatione diximus.

Potest etiam confirmari integra thesis ratione et auctoritate S. Thomae. Essentia rei cuiusque est id unde ipsa primo ac per se denominatur ens. Atqui, metaphysice loquendo, Deus primo et per se intelligitur denominari ens eo quod seipso sit, seu sit ipsum Esse per se subsistens. "Cum in omni quod est, ait S. Thomas, sit considerare *quidditatem suam* per quam subsistit in natura determinata, et *esse suum* per quod dicitur de eo quod est in actu; hoc nomen *res* imponitur a quidditate sua secundum Avicennam, hoc nomen *qui est vel ens* imponitur ab ipso actu essendi. Cum autem ita sit, quod in qualibet re creata essentia sua differat a suo esse, res illa proprie denominatur a quidditate sua, et non ab actu essendi, sicut homo ab humanitate. In Deo autem ipsum esse suum est sua quidditas; et ideo nomen *quod sumitur ab esse*, proprie nominat ipsum, et est proprium nomen eius; sicut proprium nomen hominis quod sumitur a quidditate sua." (1. *Dist.* 8. q. 1. a. 1.)

Solvuntur difficultates.

459. *Obiectio I.* — Constitutum quod quaerimus, videtur potius reponendum in infinitate. Deus enim ab omnibus intelligitur ut ens quo nihil melius cogitari possit. Atqui id non perfectionem aliquam determinatam exhibet,